

*Tristia et
Epistulae ex
Ponto.*

III. Trist. 2.

1-13.

*Liv. XLV. ab
Urb. cond. 8.*

*Poemata de
rebus variis*

CLXXXVIII. Animi aegritudo, angores, quibus in exilio angebatur et perpetuo disrumphebatur, in carminibus latent et spirant quae inde Romam frequentissime misit. Istoruni carminum alia «*Tristia*» inscribuntur, quae libris quinque constant, alia «*Epistulae ex Ponto*» quae libris quattuor continentur. Idem tamen operis utriusque color est idemque stilus. *Tenerorum enim lusor amorum*, qui iuvenis, non cotidianis modo in sermonibus nugatorie usque loqui consueverat, sed carmina sententiis festivitate plenis, argutiis iocisque frequentaverat, eo nunc animi merore opprimitur, ut nihil praeter aerumnas canat, quae in semetipso inveniat et circum se inspiciat. Omnibus rebus in exilio carens, quae hominibus beatam vitam faciunt, uxoris, filiae, quas in Urbe reliquerat, amicorum, Urbis ipsius tanto perenni desiderio angitur et vexatur, ut modo illa mente animoque repeatat, in lacrimis effundatur et animum eorum qui legunt permoveat.

1-13. Garmina haec adeo miserabilia sunt, ut quemvis movere possint; ad filiam, ad uxorem, ad familiares mittit, ac si in effundendo et eloquendo quae in animo sentit, quoddam quasi doloris levamen inveniat. Ad Augustum quoque nonnullas epistulas scribit, quibus frequenti erroris excusatione conatur, ad miserationem eum inclinare. Minime erecti animi id est neque viro Romano dignum; quem ex sententia, qua apud Livium legitur «*neque prospera flatu suo /fortuna/ efferet nec adversa infringet*». At haec ad civem potius spectant quam ad poetam, quem hic inspicimus.

CLXXXIX. Re atque genere ab his elegis plurimum differt maledicuum carmen, quod hoc quoque tempore conficit, quod «*Ibis*» inscribitur. Infidelem amicum quandam in eo non modo perstringit, qui uxoris ipsius fidem tentat, sed eum in exilio delitentem domestica re privare conatur. Vox haec *Ibis* avem quandam Aegypti significat, quae serpentibus vescitur. Carmen ex Callimacho imitatus est, qui in discipulum ingratum Apollonium Rhodium verbis acerbis invectus erat.

Poematum vero alterum, quod in exilio quoque confeci «*Halieutica*» inscribitur et, ut ex ipsa inscriptione Graeca patet, ad rem piscatoriam pertinet. Inchoatum an expletum reliquerit poeta haud satis constat; eius nunc versus centum triginta quattuor modo existant. Memorat id Plinius his verbis: «*Mihi videntur mira et quae Ovidius prodidit piscium ingenia, in eo volumi ne, quod Halieuticon inscribitur*». Carmina autem illa, quae sermone Getarum composuit, interciderunt integra. Carmina cetera «*Nux*» «*Liber nucis*» «*Consolatio ad Livizam*» falso Ovidio attributa, aemulatoris videntur.

CC. Quo velocissimo utebatur ad fingendum Ovidius ingenio, genera poesis omnia coluit, quae Graece lyricum, didascalicum, epicum vocamus. In quibus facundus est, expeditus, verbis abundans, ceu amnis aquis copiosus, eruditio plenus; Latinus in primis est ut, et orationis genere et rerum inveniendarum arte, nihil omnino a Graecis ipsis aut surripuisse aut de prompsisse eum credas, sed ut cum eorum nullo conferre queas. Facilitate tamen illa incredibili versus fundendi abusus, quae ex ipsis versiculo illo

Quidquid temptabam dicere versus erat

hodie in proverbiis est, non eum limae laborem adhibuit, cuius ope perfectam et concinnam canendi formam assecutus esset, quam summo studio exquisitam in Virgilio Horatioque miramur. Numerum ipse et carminis illius sonum, qui ex imparibus modis conficitur, in auribus ipsis quasi insitum a natura habebat, ut elegis usque, etiam si eos minime res paterentur, in carminibus fere omnibus sit usus.

*Plin. XXXII.
Nat. Hist. 5.2.*

*Versuum con-
dendorum
facilitas*

POETAE AUGUSTI MEMORIAE MINORES

CCI. Poetarum complurium, quos propter poesis laudem minores dicimus, alii in aliis generibus, quae Augusti saeculo placuerunt, nulla vel parva admodum fama versati sunt.

Egregium prae ceteris versificatorum turba sibi Virgilium in exemplum imitandum proposuit, qui quidem divino illo de Aenea Troianisque heroibus poemate Homeri ipsius gloriam esset aemulatus. Eum autem ita auctorem et magistrum habuerunt, ut poetarum eorum in modum, qui a Graecis cyclici appellantur, res celebrandas ab eventibus desumerent, qui aut ante bellum Troianum fuerunt, aut ex iis qui postea secuti sunt, neque tamen, quod maxime intererat, res illas, ut Virgilius ad Italorum studia inflecterent. In eorum numero multi; *Ponticus* in primis, hoc uno nomine notus, Propertio Ovidioque familiarissimus, cuius poema « *Thebais* » inscribebatur. Verisimile videtur eum ab Antimacho Colophonio, poeta haud ignobili, depropnsisse. Huius enim poema, quo maxime delectatum esse Platonem novimus, *magnum* scilicet longum a Cicerone dicitur; qui etiam illud satis Romanis notum esse addit, quamvis in iudicio de illo ferendo, ut apud Graecos criticos, ita apud Romanos, in contrarias partes discesserint sententiae. Aperuit igitur Ponticus primus viam ad fontem, ex quo spiritum, ut suo loco dicemus, Statius hausit, qui illo longe melior poeta fuit.

CCII. His praeterea poetis Romanis, ut ita dicam, cyclicas sunt adnumerandi Macer quidam, quem *iliacum* Ovidius appellat, tum Charus, Camerinus, Lopus, qui Trinacrius fuit; eos nos, deperditis libris, poemata confecisse Ovidius auctor docet. Alius ab Aemilio Macro, quem in suum libri locum remittimus, *Macer* hic est, de quo nunc loquimur, qui « *Antehomerica* » et « *Posthomerica* » condidit; *Charus*, ut Pisander et Panyasis ex Graecis, ut ex Latinis Caesar, mythicum, « *De Hercule* » poema composit. Item etiam *Camerinus* fabulam Herculis, ex qua urbs Troia ab heroe una cum Apolline atque Neptuno exaedificata et brevi eversa tradebatur, heroico carmine concelebravit, quod « *Excidium Troiae* » inscribebatur. Huic quoque generi non dissimilia erant poemata, quae sive *Lopus* sive *Largus* poetae concin-

Cic. Brut. 51
191.

Poetae.
χωντικοὶ qui
dicuntur

naverant, poematis illis Graecis simillima, quae Graece «γότοι» vocantur. Eorum alter Menelai Helenaeque redditum in patriam concinit; alter vero Antenoris Troiaui vices ambages enarravit. Fama enim ferebat hunc eo die, quo Ilium captum est, cum multitudine Henetorum ex Troade discessisse, in Italiam ad ultimum maris Superi sinum appulisse, ibique, subactis Euganeis, urbem Patavium condidisse. Patet eum poematis re prae ceteris Virgilii vestigia esse secutum. His poetae alii complures accedunt. *Iulus Antonius* in primis, qui triumviri filius fuit, qui ita carus Augusto fuit, ut eius neptim Marcellam, Octaviae sororis filiam, postquam ab Agrippa dimissa est, sibi uxorem duceret. Attamen postea, in adulterio cum *Iulia* deprehensus, ab Augusto ipso mortem sua sibimet manu inferre iussus est. Huic ab Horatio carmen sciscitanti, res ab Augusto in Sygambros, Germanorum gentem, gestas celebraret, Venusinus aureum carmen remisit, cuius in prooemio: «quisquis» ait «Pindarum aemulari studet ceratis ope Daedaleq; niti pennis vitro daturus nomina ponto». Duodecim libris de Diomede, fortissimo viro Ulixis amico epicum carmen composuit, quo ex principe rerum actore «Diomedea» inscripsit. Ob rem, quam canit, et carminis condendi rationem, *Iulus* quoque, ut *Lupus*, ad Virgilium quam proxime accedit. Diomedes enim in Apuliam venisse, et a Dauno rege filiam in uxorem et regni partem etiam accepisse tradebatur eodem modo quo, rebus multis immutatis, Aeneam in Latinum appulisse Virgilius narraverat. *Domitius Marsus* iisdem etiam poetis accedit, qui praeter carmina amatoria elegis conscripta nec non breviora, quae epigrammata appellantur, praeter narratiunculas illas, quas nunc fabulas dicimus, et librum rhetoricum «De urbanitate» poema mythicum de bellicosissimis feminis et virginibus confecit, quod «Amazonides» inscribebatur. Vilem hunc poetam fuisse ex his Martialis versiculis novimus:

*Saepius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide.*

Tac. IV.
Ann. 44.

Horat. IV.
Carm. 2.

Mart. IV.
Epigr. 29.

Ovid. IV. ex
Pont. 10.

Senec. I.
Suas. Epist.
122.

Ovid. IV. ex
Pont. 16. 5;

Quint. X.

Inst. 1. 90.

Sen. VI. Suas.
26.

Tum C. Pedo Albinovanus ad quem Ovidius epistulam misit. Hic cum elegos, epigrammata non sine laude composuisset, in poemate mythico res gestas a Theseo cecinit, idemque Caesaris Germanici navigationem altero in carmine macro spiritu celebravit, cuius aliquot versus alligat Seneca. Ab hoc fabulator elegantissimus appellatur, ab Ovidio autem in epistula et « sidereus » hoc est sublimis poeta dicitur. In rerum memoria ipsis praesente carminibus concelebranda clarissimi duo alii poetae Caius Rabirius atque Cornelius Severus elaboraverunt. Primus bellum civile postremum tanta concinit arte, ut magni eum oris poetam diceret Ovidius Quintilianusque cognitione non indignum. Cornelius autem « Bellum Siculum » quo Sextus Pompeius, Magni filius, ab Augusto devictus est, ita egregie illustravit, ut si ei ad perficiendum perpoliendumque poema vita suppeditavisset, quod morte praematura interceptus, inchōatum reliquit, Quintiliano auctore, secundum in epicis poetis locum tenuisset. Huius poetae quasi laudis testes a Seneca versus celebratissimi afferuntur, quibus necem Ciceronis deplorat.

CCIII. Genus vero lyricum, quod Horatius, Tibullus, Propertius, Ovidius valde illustraverant, a multis poetis aliis hoc eodem tempore excultum est, qui illorum vel unum, vel alterum pro cuiusque ingenio et natura auctorem sibi imitandum proposuerunt. Praeter eos, quos modo in epicos poetas rettulimus, in lyricis minoribus sunt C. Valgius Rufus, Codrus, Julius Montanus, Titius, Bassus, et viri duo nobilissimi Pollio et Messalla. Istorum *Valgius Rufus* ab Horatio, cui amicissimus fuit, plurimum laudatur, eodemque in carmine dolore levatur, quem ex *Mystae* pueri morte animo ceperat. *Codrus* — verum an falsum nomen incertum est: nonnulli enim eum pastorem quendam fuisse putant, qui versus factitare consueverat, alii amicum quendam hoc nomine poetice occultari censem — coniunctissimus Virgilio fuit, cuius in ecloga septima haec de amico scripta leguntur :

*Nymphae, noster amor, Libethrydes, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite — proxima Phoebi
Versibus ille facit — : aut, si non possumus omnes
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.*

*Virg. Eclog.
7. vers. 21-24.*

Eundem hunc Codrum etiam Valgius poeta laudat his verbis :

. . . *ille canit, quali tu voce canebas
Atque soles numeros dicere, Cinna, tuos.*

Iulius Montanus non lyricis modo carminibus sed et epicis quoque plurimum valuit. Ad eum enim spectare videntur Ovidii versus, in quibus famam illum habuisse testatur :

*Ovid. IV. ex
Pont. 16.17.*

*Quisque vel imparibus numeris, Montane, vel aequis
Sufficiis, et gemino carmine nomen habes.*

Eius mortem Tacitus — aetatem enim ad Neronis tempora produxit — narrat. « *Iulius Montanus, senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset, congressus forte per tenebras cum principe [Nerone] quia vi attemptantem acriter reppulerat, deinde agnatum oraverat quasi exprobasset, mori adactus est.* » Lyricos autem versus *Titium Pindarico aestu* scripsisse suspicamur ex Horatii epistula ad Iulium Florum, in qua Venusinus Romanos in Titio suum esse Pindarum inventuros sperat, qui Augusti laudes in longum aevum propagandas praedicet. En eius versus :

*Tacit. XIII.
Ann. 25.*

*Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit ?
Bella quis et paces longum diffundit in aevum ?
Quid Titius Romana brevi venturus in ora ?
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus et rivos ausus apertos.*

*Horat. I.
Epist. 3. 7-11.*

« Bassum » nobilem iamborum scriptorem fuisse ex Ovidii loco colligimus, in quo eum *clarum iambo* dicit. Demum ex Plinii epistula ad Titium Aristonem carmina scripta et

*Ovid. IV.
Trist. 10. 47.*

in coetibus fortasse poetarum recitata fuisse a *Pollione* et a *Messalla* colligimus, atque etiam ab *Augusto* ipso, quem epicum poema et fabulam tragicam tentasse constat et epigrammata condidisse « *quae* » ut ait Suetonius « *in eius tempore balinei meditabantur* ». Horum omnium carmina, praeter fragmenta nullius quaedam momenti, ex integro evanuisse dolemus, quibus vix auctorum ipsorum memoria superest.

Suet. Vit. Aug. 85.

Lil. Greg. Gyral. Poet. Hist. Dial. IV. sub. C. Maec.

CCIV. Erant etiam cum his *poetae alii* quorum nomina in temporum tenebris latent eorumque tamen carmina huic aut alteri a criticis inscripta circumferuntur. Huiusmodi sunt obscoenissima illa « *Priapea* » de quibus multa legere licet, si libet, in *Poetarum historia* egregia a Lilio Gregorio Gyraldo exarata, qui humanista, ut nos dicimus, eruditissimus et doctissimus fuit; tum carmen aliud, quod « *Rosetum* » inscribitur, ex quo poetica mella et quasi florum odores promanant, ac si idem reapse carmen consitus rosis locus sit, quem nomen significat. Huc quoque carmina laudatoria « *De Maecenate moribundo* » « *De obitu Maecenatis* » spectant, quae falso Albinovano vel Virgilio attribuuntur, tum « *Consolatio ad Liviam de morte Drusi Germanici* » quam quidam eidem Albinovano vel Ovidio ascribunt et nebulonis cuiusdam est ex humanistis, qui Leonis decimi saeculo litteras nostras illustrauunt egregie; scilicet nugator, carmine suo sine nomine edito, vel facetius criticis illis auctorem indagantibus illudere voluit, vel eorum fidem fallere. Denique carmina, quorum est apud scriptores mentio « *De pulice* » « *In pediculos* » « *De philomela* » recentioris poetae mali sunt, qui non ante aetatem medium, quae dicitur, floruit.

CCV. In genere didascalico, quod per Lucretium Virgiliumque ad perfectam maturitatem quam celerrime pervenerat *Aemilius Macer* atque *Gratius [Faliscus ?]* non ignobiles eiusdem saeculi poetae, si rem novam in litteris Latinis inspicias, ab iis primum pertractatam, multa sane laude, elaborarunt. Ille Veronensis, patria hic Faliscus; alter familiaris

Virgilio, Ovidii alter et aequalis et amicus fuit. Prior de voluerum generatione poematum didascalicum composuisse traditur, quod Graeco nomine « *Ornithogonia* » inscribebatur; idemque etiam ex Nicandro, qui Alexandrinus ob suam originem nuncupatur, poema « *Theriaca* » inscriptum Latine vertit. In hoc de serpentum venenis deque pastillis illis praesertim agebatur — Graeca voce theriaci vocantur — quibus mortiferi anguis morsus sanantur. Posterior vero Gratius condidit « *Cynegeticon* » hoc est poema de venandi arte, *Cvid. IV. 63.* in quo de canibus equisque instituendis, quibus in venando utimur, de plagis, de retibus, de venabulis, de ceteris rebus atque venationis instrumentis perbelle et poetice loquitur. Poematum illius minutissima exstant fragmenta, huius autem poema integrum quasi. Utrumque poetam apud veteres criticos valde laudatum reperio. Primus a Plinio in suos notiarum fontes refertur, et a Quintiliano tanti existimatur, ut cum Lucretio componere non dubitet « *Macer et Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasin, id est corpus eloquentiae, faciant, elegantes in sua quisque materia, sed alter humilis, alter difficilis* ». Gratius subobscurus interdum in oratione est propter rem ipsam, quam canit, adeo ut prima lectione non sine aliqua difficultate intellegatur, at loca quaedam aurea omnino sunt et praestantissimo quoque poeta digna. Exemplum sunt egregium versus, in quibus aut canes venaticos aut Vulcani officinas describit, aut etiam delicias voluptatesque contemnendas, virtutis praestantiam contra ab omnibus laudandam esse contendit atque suadet.

CCVI. Fabula etiam in hoc saeculo humi iacuit; neque enim eam *Melissus* ille Spoletinus altius sustulit, qui inter ordinandarum curas bibliothecarum, quibus ab Augusto per Maecenatem patronum praefectus fuerat, genere ipso novato, trabeatas, quae dicuntur, fabulas nonnullas conscripsit; neque item *Fundanius*, qui veterem palliatam restituere contendit, eamque multos annos iacentem erexit; *trabeatas* suas fabulas

*Quint. X.
Inst. I. 87.*

ille ex Romanorum trabea appellavit. Haec autem vestis, candida purpureis pannis virgata, a vulgari toga differebat et equestri ordini, ut propria, addicebatur; atque inde conjectura facile trahimur ad suspicandum eum in scaenas equestris ordinis personas primum induxisse. At Fundanius veterem Romanorum palliatam renovare, quam rei novitatem sequi maluit. Unus ille, ut Horatius testatur, temporibus illis bene fabulas comicas docuit, nihilominus haud tanta laude valuit, ut a celebritate ludorum populum Romanum abductum ad theatra restitueret. Neque magis valuerunt, qui in tragicis fabulis condendis versati sunt. Mihi autem persuasum est consuetudine et studio harenae accidisse, ut Romani tanto inferiores vel mediocribus poetis Graecis in fabulis tragicis fuerint. Apud eos enim heroes habebantur vel qui dolore non afficerentur, vel dolorem patientia occultarent; at contra apud Graecos tragoeiarum heroibus sensu carere non licet, dum ipsis in cruciatibus constantiae specimen ederent, et diutius omnia perpeti malling, quam cogitationes mutare et consilia. Hanc ob causam spectaculis gladiatoriis magis quam fabulis tragicis Romani delectabantur. In tragicis Augusti memoriae *Octavianus Augustus*, *Asinius Pollio*, *Pupius*, *Turranius*, *Sempronius Gracchus* fuerunt, in primisque hoc genere clarus *L. Varius Rufus*, de quo iam locuti sumus. Hic laudatissimam fabulam docuit, quae « *Thiestes* » inscribebatur; hanc « *cuilibet Graecarum comparari posse* » Quintilianus affirmat, ideoque gravius ferimus eam una cum Ovidiana Medea intercidisse, quarum utraque, si exstaret, fabularum istarum in Latinis litteris insigne esset exemplar.

TITUS LIVIUS

CCVII. Inter scriptores qui Augusti saeculo, mortuo iam aliquot ante annos Cicerone, in conficiendis libris oratione soluta usi sunt, si eorum dicendi genus inspicias, palmam

Titus Livius facile tulit. Sin autem tempora et aetates perpendas, quae ipse ex ordine ab Urbe condita ad usque suam aetatem perpetua narratione primus prosecutus est, rerum quoque scriptorum omnium, qui vel ante, vel post eum fuere, principem invenias. Vir enim hic divino prope atque singulari ingenio praeditus mirificum historiarum opus condidit atque perfecit, quod nemo aggressus erat. Patavii, ut ex certis veterum scriptorum monumentis colligitur, lucem anno sexcentesimo nonagesimo quinto post conditam Urbem vidi, in patriaque urbe, fortissima atque mercaturis copiosissima, usque ad primam adulescentiam versatus est. Nobili eum loco natum esse ex quibusdam locis historiarum suspicamur, in quibus ipse vel novos homines ignobilesque insectatur, vel nobilitatem una cum virtute in magnis clarissimisque viris expertendam esse contendit. De parentibus deque prima eius pueritia nihil sane novimus. Rem enim nullam ipse tradit, quae vel ad parentes aliquomodo, vel etiam ad se ipsum pertinere possit; ceterum pauca de eo apud antiquos scriptores memorata reperiuntur. Multis tamen indiciis eum iis fuisse disciplinis eruditum putamus, quibus tunc pueri institui soliti erant, grammatica, rhetorica, philosophorum doctrinis, sine quibus memorandum illud historiarum exemplum conscribere non potuisset. Ceterum eum disertissimum fuisse Seneca testatur et ex orationibus ipse patet, quas narrationi rerum frequenter adnectit, ex sententiis, ex figuris et verborum quasi poeticis coloribus, quibus fit perpolitissimum et elegantissimum concinnumque orationis genus. Postquam igitur adolevit, urbe patria relicta, Romam se contulit ibique sub Augusto Tiberioque ad extremam senectutem vixit. A negotiis publicis vacuum omnino et liberum fuisse satis certum est, vel quod natura sua et indole ab iis abhorrebat in deliciisque tantum litterarum otia habebat, vel quod Pompei partes cum suis municipibus secutus, Caesaris favorem a se et gratiam iam tum alienaverat, cum hic solus in

republica dominari coepit. Nihilominus id nihil privatae inter eos amicitiae offecit neque item impedivit, quominus in Octaviani familiaritatem quandam perveniret Claudiumque, qui post Caligulam imperator factus est, ad historias conscribendas impelleret. Notitias eius quasdam domesticas ex Quintiliano et ex Seneca eruimus; oblata enim in rebus diversis per se occasione, liberorum, quos Livius habuit, in utriusque locis occurrit mentio. Hic enim in declamatorum tabulis Magium quandam memorat, quem Livii *generum* dicit; ille vero epistulam quandam a Livio *ad filium* missam laudat, quod tutissima brevitas dicendi in ea reperiatur. Quo Romae tempore versatus est, in rebus Romanorum enarrandis posuit, cumque opus iam confecisset in patriam urbem revertit ibique eodem anno, quo Ovidius in exilio mortuus est, diem obiit supremum anno p. Chr. n. septimo decimo.

CCVIII. Praeter historias, quibus apud posteros valde inclaruit, de philosophorum quaestiunculis dialogos quosdam scripsisse ex Seneca novimus, et sapientiae praecepta, quae exemplis ex historiis desumptis illustravit. Confecit praeterea *ex professo philosophium continententes libros*, quos quidem cum dialogis statim evanuisse censemus ex hoc quod in nullo auctore eos memoratos invenimus. Totam aetatem in opere credendum est conscribendo posuisse, quod historiarum libris continetur. In his enim non singulas historiae partes enarrat, sed res quas Romani ab Urbis incunabulis ad recentem memoriam gesserant, diligentissime indagat et tamquam amplio in conspectu complectitur. Res omnes in libros centum quadraginta duos digessit, quos «*Historiarum ab Urbe condita libros*» sive «*Ab Urbe condita*» vel, ut videtur, brevius «*Annales*» inscrisit. Incertum enim est quo nomine appellaverit et lis hodie quoque apud iudices est. Ad aetatem nostram vix quinque et triginta libri pervenerunt: ceteri hominum incuria, vel ipsa eorum mole et pondere, exeunte, ut videtur, aetate media, tristissimo

Senec. Epist.
100. 9.

*Historiarum
ab Urbe con-
dita libri qui
existant et qui
desiderantur.*

fato interciderunt, atque a Leonis decimi deinceps saeculo ubique in bibliothecis exquisiti adhuc desiderantur. Ex tanto opere, quod propter rerum copiam et abundantiam, quae narrabantur, in bibliotheca capi posse argute negabat Martialis, quarta vix pars reliqua est. Primi hodie libri usque ad decimum integri exstant, in quibus res omnes, quas Romani gesserunt, a primordiis Urbis ad bellum Samniticum primum continentur, quod anno CCXCIII post Urbem conditam confectum est. Exstant etiam viginti quinque libri, a vigesimo primo ad quintum quadragesimum, hi quidem integri praeter quadragesimum primum atque tertium, qui locis quibusdam lacunosi sunt. Res in his enarrantur, quae actae sunt a bello Punico secundo inito, quod CCXVIII anno ortum est, ad bellum contra Perseum Macedonum regem, qui CLXXVII anno devictus est. Librorum praeterea deperditorum fragmenta nonnulla manent, quae aut in bibliothecis reperta sunt, aut ex scriptorum aliorum libris collecta. Omnia cum deperditorum tum quoque eorum qui sunt, praeter duo, centesimum sextum atque septimum, periochas, quae dicuntur, habemus, in quibus res uniuscuiusque libri enucleantur. A quo periochae exaratae sint, quoque tempore incertum est; inveniuntur tamen in codicibus Flori, de quo paulo post dicturi sumus.

*Mart. XIV.
Epigr. 190.*

*Periochae
sive librorum
summa*

CCIX. Si consilii causam rationemque quaerimus, cur eti tanta scriptorum rerum turba fuisse, Livius se in conscribendas historias contulerit, duplum fuisse ex iis inventemus, quae de proposito suo in prooemio loquens declarat. Quarum alteram, qua erat modestia, verbis his tecte significat: «*novi semper scriptores aut in rebus certius aliquid allatueros se aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt*». Sperat nimirum se, maiore industria in fontibus notitiarum indagandis adhibita nec non polita et eleganti scribendi ratione, superioribus scriptoribus praestare posse; alteram paulo infra his indicat verbis: «*hoc quoque laboris*

*Liv. ab. Urbe
cond. in
prooem.*

praemium petam, ut me a conspectu malorum, quae nostra tot per annos vidit aetas, tantisper certe, dum prisca tota illa mente repeto, avertam, omnis expers curae, quae scribentis animum etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere posset ». Ad scriptoris auctoritatem quod attinet, placet mihi iudicium in hunc locum Weissenbornii referre, qui in tanta sententiarum varietate aequissimum, ut mihi videtur, Livii existimatorem et iudicem doctum se exhibet : « Ut in scriptorum ita in rerum quoque, quae probandae et narrandae essent, delectu sano et integro plerumque Livius usus est iudicio. Sic in antiquissimorum temporum memoria nec incanes aut indecoras fabulas a recentioribus inventas aut a Graecis illatas commemoravit, nec iejuna interpretatione iis, quae fabulosa essent, veritatis speciem induere studuit, sed vulgarem fere famam aut ab Ennio ornatam non detracto mythico colore breviter eleganterque exposuit.

In iis autem, quae deinde sequuntur temporibus multa, ut in annalibus videntur perscripta fuisse, succincte commemorat, alia iam a prioribus scriptoribus copiosius narrata, pugnas civilesque turbas, et ipse oratione exornat, alia a recentioribus addita ut incerta minusve apta reicit aut in dubium vocat, alia etiam a fide dignis scriptoribus traditis legentibus nota ea esse aut minus praebitura voluptatis et utilitatis putabat vel omisit vel levius attigit. In iis libris, ubi Polybium sequitur, initio pauca ex eo hausit, paulatim plura, nonnullis locis omnia; sed permulta, quae Graeco scriptori vel propter consilii sui rationem, vel ut a Graecis res Romanae, a Romanis Graecae recte intelligi possent, necessaria visa erant, velut Graecarum inter se civitatum et Asiaticarum rationes, locorum institutorumque descriptions, multa de hominum consiliis factorumque causis, de scriptorum fide aut neglegentia recidit et omisit, aut quod ab ipsis Romanorumve ingenio aliena erant, aut quod non ultra attingere externa, nisi qua Romanis cohaererent rebus

Titi Livii ab
Urb. cond.
libr. iter.
recogn. Will.
Weissenborn.

Pars I.
Lipsiae. 1883.

statuerat, et accuratiorem eorum expositionem non necessariam aut minus iucundam putabat». Reliqua, quae apud criticum gravissimum invenio, praetergredior, ut quaestionem hanc Tacito auctori fide digno remittam, qui «*Titum Livium eloquentiae et fidei praeclarum in primis*» dicit.

CCX. Titi Livii historiae prae ceteris narrationibus aliorum scriptorum, tum novitate et magnitudine ipsa rerum quae referuntur, tum arte mirifica, qua rhetorice et quasi tragice exornantur, tum afflatu quasi poetarum, quo exagerantur et illustrantur, legentis animum maxime permovent et delectant. In maiorum gestis celebrandis ardore quodam animi perpetuo tenetur, quo fit ut industria summa in atrocissimis bellis describendis utatur, et prodigia mirabilia et quoque portenta deorum memoret, quae res prosperas significare vel adversas arcere visa sunt. Locorum ac temporum descriptiones frequentissimae occurunt, quibus aut bella aut urbium eversiones acta sunt. Hominum mores, virtutes, vicia pervestigat, ut in illis eventuum atque rerum causas exquirat. Pulcherrima ex omnibus habetur Hannibalis morum atque naturae descriptio, quam pro multis in exemplum referre placet: «*Missus Hannibal in Hispaniam primo statim adventu omnem exercitum in se convertit: Hamilcarem iuvenem redditum sibi veteres milites credere, eundem vigorem in vultu vimque in oculis, habitum oris lineamentaque intueri. dein brevi efficit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit. itaque haud facile discerneret, utrum imperatori an exercitui carior esset: neque Hasdrubal alium quemquam praeficere malle, ubi quid fortiter ac strenue agendum esset, neque milites alio duce plus confidere aut audere. plurimum audaciae ad pericula capessenda, consilii inter pericula erat. nullo labore aut corpus fatigari aut animus vinci poterat. caloris ac frigoris patientia par; cibi potionisque desiderio naturali,*

Tac. IV.
Ann. 34.

*Ars et indu-
stria in nar-
randis rebus*

Liv. XXI. ab
Urb. cond. 3.

non voluptate modus finitus; vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora: id, quod gerendis rebus superesset, quieti datum; ea neque molli strato neque silentio accersita; multi saepe militari sagulo opertum humi iacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt. vestitus nihil inter aequales excellens; arma atque equi conspiciebantur». Insunt praeterea in narratione ducum orationes quibus milites ad decertandum impelluntur quibusque res rerum auctores ipsas agentes et quasi loquentes p[ro]ae oculis, ut in fabulis scaenicis, inducuntur. Urbis enim magnitudinem atque reipublicae Romanae magnificentiam cum celebrare statuisset, elatiore et ardentiore orationis genere usus est, quam in rerum scriptoribus exquiritur. Hunc sibi finem cum proposuisset, in suas historias et illa quidem minus certa et a poetis facta rettulit, quae ante Urbem conditam poeticis magis idonea fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis tradebantur. Hanc ob causam equidem epicorum poetarum ei laudem una cum rerum scriptoris auctoritate tribuerim. Etenim id oratione soluta efficere contendit, quod eadem aetate Virgilius effecerat; Romanis videlicet ceterisque praesertim terrarum gentibus ostendere voluit et ipsis rerum eventibus comprobare Urbis imperium deorum fatis partum esse, et eorum opibus et auxilio esse auctum, ut populus unus rerum totius orbis terrarum, quasi deus in mundo, potiretur. Quod mihi saepenumero animo repetenti populum Romanum Livius sensisse videtur — quod etiam Iudei multis ante annis de se senserant et litteris mandaverant — inter ceteras orbis terrarum civitates esse deorum numine delectum, qui imperium atque rempublicam unam sub unius Urbis ditione ac potestate ex gentibus pacatis omnibus conderet, qui civitates barbaras in infinita prope rerum discrimina adductas deorum ipsorum voluntate salvas atque integras servaret. Res enim humanas tamquam in altissimo monte considens, uno quasi aspectu conspicatus, populum Romanum

*Perennis
Urbis
celebratio*

gentium ducem et lucem esse indicavit. Qua quidem sententia Iohannem Baptistam Vicum nostrum, sapientissimum et doctissimum virum, praevertit, qui maiorum memoria nostrorum dialecticis rationibus exemplisque desumptis ex historia, mundum numine quodam et Dei providentia regi et administrari ipsis rerum vicibus comprobari posse contendit. Hinc accedit ut Livius numquam, etiam cum bella et vices Romanis adversa enarret, dolore teneatur, in bonam spem rerum secundarum citius erigatur, maximeque doleat cives suae aetatis, ac si id minus sentiant, in dies corrupti. Pro hoc munere et officio, quod ipse ut veteres rerum scriptores huic litterarum generi assignat atque pro ratione illa, ex qua historia vitae magistra dicenda ad bonum assequendum est, nemo Livio melius virtutem praedicavit, nemo exemplis maiorum potius quam verbis homines, ut vitia fugerent edocuit, nemo aptius verum cum recti amore coniunxit.

CCXI. Libertatem non minore coluit studio, quam mores integros maiorum laudibus extulit et praedicavit, quod cum ex sententiis acutis infertur, quibus occasionem nanctus multis locis eam commendat, tum in fine libri primi quam maxime patet. Scelera ibi Tarquinio enumerans, obscuris verbis colorat, tacite frendit et ardet. Oppressorem autem libertatis et vindicem, Tarquinium et Brutum, in dissimilitudine rerum ita repraesentat, ut animum suum facile ostendat: « *eodem fere tempore diversis itineribus Brutus Ardeam Tarquinius Romam venerunt. Tarquinio clausae portae exiliūmque indictum; liberatorem Urbis laeta castra accepere* » Post regem electum novum annorum ordinem initium cepisse ex libertate credit: « *regnatum Romae ab condita Urbe ad liberatam annos ducentos quadraginta quattuor* »; exhilaraturque, quod a cervicibus Romani servile iugum deiecerint: « *Liberi iam hinc populi Romani res pace belloque gestas, annuos magistratus imperiaque legum potentiora quam hominum peragam. quae libertas ut laetior esset, proxumi* »

*Libertatis
amor et
studium*

*Liv. I. ab
Urb. cond. 60.*

regis superbia fecerat ». A libertatis amore ne Augusti quidem aut timor aut amicitia eum deduxit. Constat enim eum partes Pompeianorum esse secutum, atque Pompeium laudasse, qui libertatis vindex fuisse, et Brutum Cassiumque summis prosecutum esse laudibus, quippe qui libertatem contra Antonium et Octavianum ipsum defendissent. Hinc mihi ille vir vere Romanus animo et ingenio fuisse videtur; alia enim natura liberam illam liberorum hominum rempublicam immortalitati commendare nequivisset.

*Liv. II. ab
Urb. cond. I.*

*Orationis vir.
tutes et stilus*

*Quint. X.
Inst. I. 101*

CXII. Livii narrationes magis quam ingenti rerum et eventuum varietate, qua populus terrarum princeps in omnem posteritatem res fulget, orationis genere delectant. Non enim Livius, ut annalium scriptores, ex quibus, tamquam ex fontibus, notitias deponit, nudo et exili et stricto orationis genere utitur, quod nonnulli critici vitio Caesari vertunt, neque subobscuram Sallustii brevitatem affectat, sed formam illam amplam, concinnam, numeris plenam adhibet, in qua oratorum et poetarum genus aequabiliter commiscet et in unum componit. Hinc fit, ut praesertim cum res illas narret quae ad poetarum ornatum magis idoneae videantur, figuris atque verborum coloribus narrationem variet, distinguat et illustret, ac si carmen solutum condere instituat. Non tamen, semper idem in libris omnibus stilus est neque idem color: pro varietate et praestantia rerum nec non pro scriptorum diversitate ex quibus haurit, modo gravior est, modo pressior modo lenior. Quintilianus Pollionem refert in Livii historia Patavinitem ut vitium deprehendisse, rationem videlicet quandam sermonis inflectendi ab urbe patria importatam. Huius honestissimum iudicium iuvat referre: « *At non historia cesscrit Graecis. Nec opponere Thucydidi Sallustium verear, nec indignetur sibi Herodotus aequari T. Livium, cum in narrando mirae iucunditatis clarissimique candoris tum in contionibus supra quam enarrari potest eloquentem: ita quae dicuntur omnia cum rebus, tum personis accommo-* ».

data sunt; affectus quidem praecipueque eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commodavit magis. Ideoque illam immortalem Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est ». Quanti autem apud aequales T. Livius fuerit ex loco quodam Plinii conici licet, qui narrat usque a Gadibus quendam nomine Livii gloriaque comotum, illius visendi causa venisse, quem ut vidisset, abiisse statim, quasi in Urbe domina terrarum et popolorum maius esset miraculum vir unus, quam opes reliquae et potentia.

*Plin. II.
Epist. 3. 8.*

MINORES RERUM SCRIPTORES

CCXIII. Ex multis rerum scriptoribus, qui eadem aetate qua floruit Livius, in historiis conscribendis varia multiplique ratione elaboraverunt, primum profecto locum *Trogus Pompeius* occupat. Hic Galliae Narbonensis familia natus, quam Pompeius Magnus civitate donaverat, natione quidem Gallus fuit, ingenio moribusque Romanus. Doctus et intelligens rerum aestimator, cum Graecorum historias evolvisset, Timaei praesertim libros, Theopompi, Polybii, quadraginta quattuor libris, quos « *Historias Philippicas et totius mundi origines et terrae situs* » inscrispit, omnium saeculorum memoriam et terrarum descriptionem complexus est. Civitatum omnium originem a Nino, Assyriorum rege, repetivit quem primum totius Asiae regnum obtinuisse et Ninivem, urbem Assyriae maximam, condidisse scriptores et Graeci et Barbari tradiderant. Deinceps res Assyriorum, Medorum, Persarum narrabat, tum tria bella, quae Graeci cum Persis gesserant; tum postea res Alexandri, Macedonum regis, fusius referebat et regnorum, quae post huius mortem ex imperii divisione orta sunt. Ab ultimis duobus libris Romanorum et Hiberorum res summatim enucleabat, qua instituta historiarum ratione duorum milium annorum spatia narratione continua prose-

eutus est, Livium ipsum rerum populorumque varietate superans, de quibus in suis libris mentio occurrebat. Huius operis fragmenta exstant et librorum « *prologi* » quibus Iustinus, qui confecit, rerum summam « *veluti florum corpusculum* » nobis delibandam exhibuit.

CCXIV. Livii quoque aequales fuerunt cum *L. Fenestella*, qui viginti unum historiarum libros composuit « *Annales* » inscriptos; tum *L. Arruntius*, qui Sallustii orationis genus imitatus « *Historias belli punici* » conscripsit; tum denique *C. Iulius Higynus*, Hispanus natione, libertus Augusti, qui Palatinae bibliothecae praefuit. Hic plura scripsit, quae ab auctoribus passim referuntur. Librorum, qui ad historiam pertinent, alios « *De vita rebusque inlustrium virorum* » alios « *Exempla* » alios denique « *De familiis Troianis* » inscripsit; praeterea a scriptoribus nonnullis libri eius « *De astronomia* » et « *De agricultura* » et « *De apibus* » memorantur, et etiam commentaria in « *Propempticon Pollionis* » de quo paulo supra sermo fuit, atque Virgilii poematum explanatio. Scriptoribus his *M. Verrius Flaccus*, *M. Vipsanius Agrippa*, *M. Valerius Messalla Rufus*, *M. Valerius Messalla Corvinus*, *Asinius Pollio Octavianus Augustus* accedunt, qui partes modo historiarum singulas singuli sui ipsorum celebrandi causa pertractaverunt.

IURIS ET SAPIENTIAE SCRIPTORES ORATORES

CCXV. Complures sive publici sive privati iuris viros peritissimos protulit litterarum aetas aurea. Ex frequentissima enim Mucii Scaevolae Pontificis schola iurisconsulti clarissimi prodierunt duo, *L. Lucilius Balbus* et *C. Aquilius Gallus*, qui Ciceronis fuerunt fere aequales et familiarissimi, aetate maiores. Eorum alter tantos in stoicorum sapientiam progressus fecit, ut eum pro his sapientibus Cicero in suis

libris loquentem induxerit. In Bruto vero eum doctum et eruditum hominem vocat et tum in agendo, tum in respondendo gravi tarditate praeditum. Secundus autem, ex nobili pervetustaque familia Aquiliorum oriundus, homo acutus fuit exercitatus et in agendo respondendoque celerrimus. Hunc multis laudibus Cicero extollit in oratione, quam pro A. Caecina habuit. Utriusque in se laudes aequae conciliavit *Servius Sulpicius Rufus*, qui utriusque auditor fuit. Ineunte aetate in iisdem eloquentiae exercitationibus cum Cicerone fuit, et cum eodem una Rhodum profectus, quo melior esset et doctior. Attamen cum a Cicerone se eloquentiae laude superatum vidisset, in iuris arte, quae secunda est, primus esse maluit, quam in prima secundus. Servius primus, cum ceteri maxime iuris civilis usu valerent, huius disciplinae artem adhibuit. Dialectica ratione ius tractabat, qua obscura explanando, ambigua distinguendo, vera a falsis discriminando, rebus, quae confusè ab aliis aut respondebantur aut agebantur, lucem quasi afferebat. His itaque iuris laudibus et principem locum inter suae aetatis iurisconsultos obtinuit, et ad summas dignitates est evectus. Ex huius discipulis, qui multi fuerunt — frequentabatur enim eius domus incredibili iuvenum nobilium multitudine — *P. Alfenus Varus Cremonensis* et *A. Ofilius* memoratu dignissimi sunt. Etenim hunc apud Pomponium his verbis laudatum invenio : « *Fuit Caesari familiarissimus et libros de iure civili plurimos et qui omnem partem operis fundarent reliquit* ». Ad eum curam legum in unum corpus exigendarum Caesar mandavit, cui muneri egregie satisfecit. Prae eius commentariis liber « *De legibus vicesimae* » in primis memorabatur, in quo « *vicesimam hereditatum* » defendebat. Qua lege, cum militare aerarium conderet Caesar, instituerat, ut ex hereditatibus omnes cives persolverent vectigal, exceptis arcta sanguinis necessitudine iunctis et pauperibus. Librum etiam alium « *De iurisdictione* » scripsit primusque maxima diligentia

*Cic. Brut. 41.
151. et seqq.*

*Pomp. 2. 44.
De orig. iur.*

«*De praetoris edictis*» disputavit; alterum autem Varum, abiecta sutrina, quam in municipio exercuerat, Romam petisse veteres scriptores tradunt, ibique eo dignitatis propter iuris scientiam pervenisse, ut consul suffectus crearetur. Scripsit hic «*Digestorum libros XL*» quos postea iurisconsultus in Paulus epitomen redegit. Haec autem epitome in Iustinianeis «*Digestis*» saepissime alligatur et memoratur.

CCXVI. Ex Ofilii disciplina iurisconsulti clarissimi duo provenerunt, Q. Aelius Tubero et C. Ateius Capito, qui quidem, ut magister, Caesari dediti fuerunt. Eorum *Aelius*, cum adulescens in foro dicere coepisset, postquam a Q. Ligario, quem ipse, Cicerone defendantem, accusaverat, causa abiudicata est, foro ac iudiciis relictis, ad ius et historiam multa se contulit laude. Propter sapientiam et eruditionem insigne et morum integritatem non minus ac ob paupertatem extremam, qua parva in domo multis cum filiis habitabat, in proverbium apud populum Romanum venit assimilatusque a Seneca est cum Catone Laelioque. Doctissimus habitus est iuris publici et privati atque complures utriusque libros confecit. Alter *Ateius Capito* pontificio iure valde pollebat. Indole hunc et natura iis obsequiosum, qui in civitate cum potestate erant, ab Augusti assentatione neque iuris scientia neque dignitas illa veterum Romanorum civium distinuit. Eum, quo favore et gratia arctius alliceret et devinciret, nondum aetatem agentem, quae ex consuetudine ad consulatus gradum consequendum requirebatur, consulem Augustus renunciavit. Praeter alias libros de iure publico privatoque, librum «*De iure sacrificiorum*» celebratissimum confecit.

CCXVII. Eadem aetate, Ciceroni aequalis iurisperitus clarissimus aliis floruit *C. Trebatius Testa*, qui quidem, ut Sulpicius Rufus, cum Cicerone in vitae consuetudine fuit. Huius iucundae amicitiae Cicero ipse testis est, qui multas ad eum familiarissime scriptas remisit epistulas eumque Caesari in Gallia tunc bellum gerenti multis commendavit laudibus.

*Porphyry, e
Arco ad
Horat. I. Sat.
3. 130.*

*Senec. Epist.
95. 72 73;
ibid. 98. 13;
104. 21.*

*Tac. III.
Ann. 75.*

*Cic. VI. ad
Fam. 6-22;
VII. 5.*

Huic quoque Trebatio, ut supra diximus, topica sua addixit. Augusto, cui a Cicerone insinuatus est, tum propter iuris scientiam, qua multum callebat, tum quoque quia in novis republicae rebus prudenter servivit, carus acceptusque in primis fuit. Apud veteres scriptores libri eius memorantur, quos cum de iure religioso tum de civili confecerat. Longe alius a Trebatio, quo iuris magistro usus erat, *M. Antistius Labeo* fuit. Ab assentationibus enim non modo vehementissime abhorruit, sed etiam libertatis memor, in qua natus erat, in Caesarem multa contumaciter dixit et fecit; quare a Tacito auctore atque critico severissimo *incorrupta libertate* vir celebratus est. Consulatum itaque, quem callide Augustus ei offerebat, si erectum animum hoc modo inflectere posset, fastidiose contempsit, ne tyranni favore corrumpi videretur. Volumina quam plurima vel quadraginta — loci enim lectio incerta habetur — de iure omni deque legibus interpretandis conscripsit, quae passim a Pomponio memorantur. A libera republica iurisconsultus alter *A. Cascellius* stetit, qui consulatum sibi eadem ratione ac Labeoni ab Augusto oblatum spretum noluit, unis iuris legumque studiis contentus, cum liberae reipublicae ius laberetur. Privatus multis quaestiones in scripturis pertractavit, quae praeter unam, quam « *librum bene dictorum* » inscripserat, Pomponii aetate iam evanuerant.

CCXVIII. Duriore fortuna Augusti saeculo — nam Ciceronis aetatem, quantum ad oratores spectat, penitus supra indagavimus — vera et perfecta eloquentia usa est. Cum enim ad maturitatem plenam et quasi felicitatem, republica adhuc integra et libera, Ciceronis praesertim usu atque ratione pervenisset, republica, legibus, libertate collapsis, cito diffluit et evanuit. A foro enim contionibusque egredi coacta, ubi ex libera oratorum contentione vires atque lacertos sibi addiderat, praecisis praemiis publicisque honoribus, ad quae una cives praestantissimos adduxerat, in curiam tantum, in qua dictatoris primum, imperatoris postea voluntas domina -

Cell. VII.5.1;

Macr. I.

Saturn. 16.

Porphy. ad

Hor. I. Sat.3.

82; Tac. III.

Ann. 75.

Pomp. Dig. I

2. 2. 47.

Pompon.

Dig. I.2.2.45.

Eloquentiae

Romanorum

occasus.

batur et in iudicia cum discessisset, servitutis frenis ac vinculis prohibita est quominus ex animo, quo vellet, erumperet. Veteris eloquentiae imaginem quandam *Asinius Pollio* in novum saeculum ex praeterito secum tulit eamque posteriori aetati nolens quidem vel ignarus commisit. Ipse enim atticorum oratorum vitia eo invexit, ut siccitatem illam ad rerum ieiunitatem et exilitatem adduceret. Cum itaque forum civium frequentia orbatum esset, in umbraculis apud bonos cives litteratosque de quaestiunculis deque rebus fictis declamandi usum hic primus invenit. Cum eo floruit *Valerius Messalla*, qui Ciceronis vestigia sequi conatus est, voce una cum libertate iam deficiente. His rerum condicionibus factum est, ut unus *Augustus* eloquentia claresceret, quippe qui, cum in republica solus dominaretur, quidlibet dicendi facultatem haberet. Nativa eloquentia usus, multaque cogitatione, apud populum, apud Senatum ita saepè locutus est, ut haud ignobilis orator haberetur. Eloquentiam vero, servitutis dedecore, assentationibus affectam, in pristinam libertatem, qui aliquo modo vindicare conati sunt, ut *T. Labienus Cassius* atque *Severus*, suam arrogantiam morte aut exilio luerunt. Etenim cum libera voce molesti Augusto essent facti, eorum alter, iussus vivus in maiorum sepulcro claudi, fortiter se stoiceque vitae molestia liberavit; alter vero cum in cives bonos invectionis esset, Caesaris iussu in Cretam insulam primum est relegatus, Seriphum deinde in exilium missus, ibique obiit.

GRAMMATICI PHILOSOPHI RERUM VARIARUM SCRIPTORES

CCXIX. Maximo in flore grammaticorum studia fuere, neque enim Caesaris Augustique de republica consiliis officere poterant et auribus iudicioque litteratorum obtemperabant, qui Alexandrinorum eruditione valde delectabantur. In perpetuis grammaticorum quaestuunculis, praeter Varro-

nein, Nigidium, Caesarem, Verrium, Hyginum, quorum unumquemque suo loco memoravimus, in poematibus explanandis atque illustrandis complures alii critici elaboraverunt; in primis *M. Antonius Gniphō*, in Gallia natus, vir doctus et litteris Graecis et Latinis eruditissimus, qui Iulium Caesarem adulescentem cum grammaticam et rhetorica docuisse, litterarum Iudum aperuit, quem a Cicerone praetore traditum est frequentatum. «*De latino sermone*» libros ex scholae usu confecit, in quibus de elocutione expurganda et ad pristinam bonae consuetudinis rationem emendanda agebatur. De bene loquendi usu atque facultate etiam *L. Ateius Praetextatus*, Athenis natus, praecepta tradidit, qui ob sermonis scientiam *philologus* appellari gavisus est; tum *Valerius Cato*, qui non purus grammaticus et criticus sed etiam poeta fuit, ex scholae illius umbraculis profectus, quae *nova* appellata est; tum *L. Orbilius Pupillus*, Beneventanus, quem iocans Horatius in epistulis *plagosum* vocat. Hic cum diu in urbe patria in pueris docendis esset versatus, quinquagesimum annum agens Romam venit *docuitque maiore fama quam emolumento*; huius rei in singulari libro querellas movit, qui «Περιαλγής» inscribebatur. Videlicet in eo de iniuriis conquerebatur, quas discipulorum parentes non in liberos, qui parum proficiant, sed in magistros, qui docent, saepius inferunt. Eodem tempore *L. Cincius*, qui ab annalium scriptore distinguendus est, res inter se diversas, quas pueris tradere solebat, multis in opusculis pertractavit; haec ex variis argumentis «*De verbis priscis*» «*De fastis*» «*De comitiis*» «*De consulum potestate*» «*De re militari*» inscrispit. Cum his vero multi alii fuerunt, et *Santra* et *Sinnius Capito* et *Caecilius Epirota* — qui fuit Maecenatis libertus et trabeatas composuit — et *Crassidius* et *Scribonius Aphrodisius*, qui grammaticam omnem atque criticam in suis scripturis commentatus est.

CCXX. Philosophiam, praesertim quae de hominum vita et moribus est, quam ex Graecis auctoribus primus Cicero

Horat. II.
Epist. I. 71.

Suet.
Gramm. 9.

Philosophi

deprompsit, et ad Romanorum usum et rationem accommodavit, nullus fere huius Augusti saeculi vir doctus praetermisit, immo ad physicam etiam et ad res, quae in natura sunt, sive disserendi subtilitate, sive ipsius naturae investigatione mentis oculorumque aciem intenderunt. Philosophiam tamen auctores pauci dedita opera coluerunt. In his adnumerantur *Sextii* duo, qui ex Graecorum scholis provenerunt; attamen non modo stoicorum doctrinas in suis libris attulerunt, sed et libros lingua Graeca exararunt. His *L. Cassicius* atque *Papirius Fabianus* accedunt. Prior genere *Tarentinus*, cum multos ac nobiles adulescentes grammaticam publice doceret, dimissa repente schola, ad Sextiorum philosophorum sectam transiit. Secundus vero, praeter philosophiam, etiam disciplinas coluit, quae in rerum natura versantur.

CCXXI. Artes vero, ex quibus homines vel ad colendos agros utilitatem quaerunt, animantium naturam indagant, vel terrarum mariumque descriptionem per figuras pictas exhibent, frequentius hac aetate in libris ex professo scriptis tractari coepiae sunt. Ad rem rusticam, quam in deliciis habuisse Romanos constat «*Rerum rusticarum libri*» *Varronis* spectant, quos iam memoravimus, quibus *Xenophontes* addi potest «*Oeconomicus*» quem *Cicero* vertit, tum liber *Sabini Tironis*, in quo viridiorum hortorumque colendorum artem exponebat, eumque ad Maecenatem patronum suum misit; tum *C. Iulii Hygini* libri duo, in quorum altero agebatur «*De agricultione*» in altero vero singillatim «*De apibus*». Huc quoque accedunt, quae eodem fere tempore de herbis, de stirpibus, de arboribus etiam *Pompeius Trogus* atque *Papinius Fabianus* scripserunt, nec non *Nigidii Figuli* liber, in quo animantium ortus, figuræ cum perscrutatus esset, ea quae de his rebus noverat, ad scientiam naturae et rationem quandam redigere conatus est. De arte autem illa *Apollini propria*, qua corporum morbi sanantur, *Antonius Musa*, medicus Augusti celebratissimus, praecepta plurima in suis